Lane Medical Library

DE

HAEMORRHAGIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

DAVIDES SABERSKY
LUSATUS.

OPPONENTIBUS:

G. SIMON, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
C. WALTZ, MED. ET CHIR. DR.
C. HOFFMANN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

AD CINERES USQUE COLENDIS

FILIUS.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROOEMIUM.

Non de omnibus haemorrhagiarum formis, quas in variis humani corporis partibus oriri videmus, scribere proposui, quia hoc certe inceptum esset, quod exiguum virium excederet modum; praeterea hoc morborum genus materiam offert tam copiosam, ut multo magis de una specie liber scribi posset, quam de cunctis libellus. Hanc ob causam nihil aliud restat, quam ut tradam singula ex studiis theoreticis collecta et in clinicis illustrissimorum virorum audita. Sed et haec certe nec nova sunt, neque unquam ea publico judicio submittere ausus essem, nisi mos atque lex imperassent, ut summos in medicina honores assecuturi argumentum quoddam doctrinae debitae exhibeant.

Accipias igitur, lector, animo benevolo has paucas observationes, et si patientia tua nimis abuti videbor, leniter, quaeso, dijudices tenuem tironis conatum.

Haemorrhagiarum definitio.

„Haemorrhagia propria vocabuli significatione, Boerhaave in Aphorismis dicit, copiosum sanguinis cum impetu effluxum notat, postea tamen obtinuit, ut in quodcunque sanguinis effluvium deferretur. Αἱμοῤῥαγία enim videtur optime derivari *ἀπὸ τοῦ αἵματος καὶ ῥαγῆναι,* quod vocabulum ex Galeni sententia apud Hippocratem idem significat, quod *ἀθρόως ὁρμᾶν:* cum impetu et confertim prodire. Dum enim sanguis modicus et sensim effluit *ἔῤῥυσιν* vocavit Hippocrates, vel lene stillicidium dixit *στάλαγμον.* Ubi autem Haemorrhagiae nomen simpliciter occurrit apud Hippocratem, non addita parte corporis, ex qua erumpit, intelligi illam, quae per nares fit, sanguinis eruptionem, adnotat Galenus."

Nos complectimur hoc nomine omnes illas morborum formas, quae pendent ab effluxu sanguinis vel liquoris similis ex vasis continentibus, quorum vis vitalis vel est turbata vel integra. Non est haemorrhagia morbus per se, sed ex aliis semper

efficitur, atque omnia vel critica vel symptomatica profluvia, uti haemorrhoides, menstruatio, alia non sunt separanda, sed ad unum modo genus reducenda.

Sedes et signa physiologica.

Quamquam nulla fere corporis est pars, ex qua haemorrhagia fieri nequeat, tamen videmus eam praecipue oriri in organis, quorum vasa capillaria uberius sanguine sunt impleta, quorum textura laxior, parietes tenuiores sunt.

Praeterea est magni momenti organi situs atque secretio, nam quo magis est expositum incitamentis externis, quo frequentior secretio, eo saepius haemorrhagiae oriuntur, quod quidem probatum videmus profluviis pulmonum, narium, uteri, renum, cerebri. Rarius autem tunicas serosas, uti pericardium, pleuras, peritonaeum, affectas invenimus, perraro ossa, ut uno verbo utar, quo magis organa carent vasis, quo sunt firmiora et duriora, eo minus profluvia nascuntur.

Quodsi autem respicimus ad morbi nostri initium, duo praecipue stadia discernamus necesse est: stadium congestionis atque secretionis vel haemorrhagicum.

Quod attinet ad stadium primum, in eo minimi vasorum fines dilatati, expansi apparent, quam ob causam organon ipsum sanguine est obrutum, volumen ejus auctum atque densitas valde minuta;

sanguinis copiosior affluxus sensum caloris efficit aucti, qui non modo ab aegroto ipso percipitur, sed etiam thermometro explorari potest.

Calor etiam ad partes propagatur propinquas, quam ob rem in inflammatione organi alicujus penitius siti tegumenta externa majorem ostendunt temperaturam, quam antea solebant. Lumine vasorum dilatato atque calore aucto ruborem, tum secretionem accumulatam existere, interdum e membranis mucosis vel serosum fluidum secerni, vel secretionem opprimi atque organi ipsius functionem minus magisve offendi novimus.

Eodem fere tempore anaemia oritur antagonistica in omnibus a loco congestionis partibus remotis; imminente organi interni haemorrhagia, antea frigus quoddam atque pulsus durus, celer, dicrotus, percipitur, qui quidem ineunte profluvio ad normalem revertitur actionem. Sed errant, qui semper hyperaemiam organi aegroti haemorrhagiae antecedere putent atque hoc molimen haemorrhagicum symptoma profluviorum essentiale habeant. Nam in scorbuto, ubi sanguis est tenuis, aut in phthisi, ubi vasorum continuitas est laesa, deficiente illo stadio saepissime haemorrhagiae irrumpunt.

In stadio secretionis discernere licet quoad organorum situm haemorrhagiam internam atque externam, quod magni est momenti propter sanguinis compositionem. Sanguis enim ex parte aliqua externa effluens omnino est purus, in altero casu con-

tra sanguini aliae substantiae saepius sunt admixtae, quae certe diagnosin num sit re vera sanguis nec ne difficiliorem reddunt.

Quod si accidit vel microscopicae vel chemicae disquisitiones instituantur necesse est, uti in haemorrhagiis organorum urinariorum atque intestinorum; minoris pretii est exploratio, num sit ex arteriis an ex venis effusus.

Respiciendus est praeterea sanguinis color, qui in haemorrhagiis juvenum, organorum supra diaphragma sitorum, e rubro candicans, contra autem e rubro subniger esse solet.

Quod autem attinet ad primos profluviorum effectus, quam maxime varii sunt; pars enim ex profluviis vel congestione vel hyperaemia affecta sanguine edito sublevari, morbi symptomata, quae aderant evanescere, aegrotus dyspnoea antea pressus melius respirare, sensorium prius affectum quietem recipere potest, ita ut omnino sensus quidam percipiatur optatae incolumitatis. Saepius autem hyperaemia non levatur sed potius augetur atque haemorrhagia vel per longius tempus perdurat cum intermissionibus nonnullis, vel inflammatio provocatur. Sanguis effusus organi functionem laedere, quin etiam omnino delere potest, quo fit, ut in haemorrhagiis ventriculi nausea et vomitus, in profluviis cerebri coma, delirium, convulsiones, apoplexia haud raro oriantur. Sanguis porro in cavitates emanans eas obturare solet neque functionis

laesae symptomata sentiuntur, priusquam vasorum depletionem livor atque syncope sequuntur.

Haemorrhagiae activae et passivae.

Morbi nostri formas varietatem et modificationem magnam praebere elucet, atque jam ex antiquissimis temporibus profluvia ab auctoribus multis modis divisa invenimus. Veteres exempli causa quoad sejunctionem vasorum mechanicam haemorrhagias statuerunt per rhexin, diabrosin, diaeresin; sed cum longum sit, omnes illas, quae sequuntur, divisiones commemorare, tamen unam prae omnibus *quoad morbi characterem* non negligendam esse puto: divisionem in profluvia *activa* et *passiva*, etenim hac omissa cura institui non potest rationalis.

Haemorrhagiae, quas nominare solemus activas, oriri nequeunt, nisi ex incitamento aliquo vel externo vel interno, plerumque autem ex sanguinis impetu in unam corporis partem. Tentantur hac morbi nostri forma praecipue homines constitutionis validae et robustae, juvenes, qui cibis fruuntur nimis nutrientibus, vel spirituosis abutuntur.

Apparent porro activae haemorrhagiae crebriores verno tempore cum prodromis congestionis, hyperaemiae, temperaturae auctae, quae signa profluviis minutis decrescunt; pulsus est durus, celer, post profluvia mollior, tardior. Haemorrhagiae tales su-

bito adeoque periodice sese ostendunt atque saepius facili negotio sisti possunt.

Haemorrhagiae autem passivae fere omnino contraria praebent signa; incitamentum illud non desideratur atque oriuntur simul in variis partibus texturae laxae, cellulosae.

Corripiunt homines aetate provectos, debilitatos, vel ex alimentis vi nutriendi carentibus, vel ex contentionibus nimiis tam corporis quam animi; vigent praecipue autumnali et hiberno tempore, molimine haemorrhagico carent, pulsus facillime comprimitur, effluente sanguine celerior evadit atque auctis profluviis debilitas et collapsus crescunt.

Reil in libro „Ueber die Erkenntnifs und Kur der Fieber" dicit:

„*Activ* werden Blutflüsse genannt, die den Charakter der Synocha und des Typhus haben, und durch einen Excefs der Thätigkeit der Gefäfse das Blut durch ihre Häute treiben. *Passiv* sind diejenigen, welche den Charakter der Lähmung haben. Auch bekommen die Blutflüsse von Wunden der Gefäfse und von Fäulnifs des Blutes das nämliche Prädicat."

Idem alibi Cullenii nobis tradit sententias: „Cullen will die activen und passiven Blutflüsse als besondere Arten trennen. Jene, sagt er, entstehen von inneren Ursachen, durch einen vermehrten Trieb des Blutes, und sind mit einer Art von Pyrexie verbunden. Diese sind Folgen von Wun-

den, Zerfressungen und Lähmungen der Gefäfse oder von Fäulnifs des Blutes, sind ohne Fieber und ohne Drang des Blutes. Auch enthalten Cullens active und passive Blutflüsse nicht eine, sondern mehrere Arten; jene haben bald den Charakter des Typhus, bald den der Synocha; diese entstehen bald von Wunden, bald von Lähmung der Gefäfse, bald von Fäulnifs des Bluts, also von verschiedenen Arten, die nicht in eine zusammengeschmolzen werden dürfen."

Aetiologia.

Causae ex quibus haemorrhagiae oriuntur, dividi possunt in praedisponentes atque occasionales, externas et internas.

Hereditatem praecipue reperimus apud liberos, quorum parentes phthisi laboraverunt atque videmus, laesionibus minimis profluvia exsistere uberrima. Punctura acus, hirudo, venaesectio, dentis evulsio jam sufficiunt ad haemorrhoeam efficiendam, quae saepiùs nullo modo supprimi potest; interdum haemorrhoea tum, quum vulnus infligebatur, valde erat exigua, et paucis diebus post sanguis, crusta impetu remota, profluit.

Saepissime causam non deprehendimus efficientem, sed modo subito aegroti faciem rubram et subinflatam, cordis palpitationes, pulsum fortem ac tensum, omnino orgasmi sanguinis signa cernimus,

atque sanguis praecipue ex internis proruit partibus. Perraro in hac haemorrhagiarum specie ars faustum praestat exitum, nam sanguis in hoc morbo plerumque non coagulans sisti nequit atque aegroti ipsius vires tantopere debilitantur, ut quam saepissime mors sequatur. Idiosyncrasia talis hereditaria per complures ejusdem familiae generationes deprehendi potest, neque hucusque curatio radicalis haemorrhaphiliae, quamquam tentata, contigit.

Doctissimi jam viri explorandae haemorrhaphiliae naturae operam navarunt, sed eam adhuc esse ignotam, confiteamur necesse est. Heyfelder naturam morbi in dyscrasia scrophulosa positam putat, Rieken haemorrhaphiliam irregularem arthritidis formam habebat atque Schoenlein primus eam morbo coeruleo adnumeravit.

Tanta opinionum dissensione tamen sperare licet, fore ut observationes auctae, auxiliante microscopio et chemia, praecipue anatomia pathologica tantopere florente, naturam morbi in posterum clariorem reddant.

Multum praeterea ad profluviorum ortum varias aetatis periodos valere, experientia docet, atque ita crebrius evolutionis et involutionis tempore haemorrhagiae animadvertuntur, quam aliis temporibus. Tam autem corripiunt praecipue organa illa, in quibus secundum aetatem sanguinis circulatio aucta est; plethora cephalica epistaxin, plethora abdominalis et pelvina profluvia ventriculi, tubi intestinalis orga-

norum urinariorum efficit. Auctam dispositionem in feminis inesse, non est mirum, nam menstruatio per periodos superveniens, graviditas atque sanguinis jactura ab eadem pendens, certe causae sunt principes, quae quoque ineunte pubertate, evolutione, locum habent. Quin etiam fieri potest, ut dispositio talis habitualis remaneat atque paullatim desorganisationes genitalium aliarumque partium oriantur.

Haemorrhagiae porro effici possunt incitamentis nimiis organorum secernentium et excernentium, quod quidem quotidie fere probatum videmus, cum infantes sanguinem pro lacte e matris mamma sorbent. Drasticorum, diureticorum abusus, excessus in coitu, non minus ad idem causarum genus sunt referendi.

Profluvia occasionalia plerumque ex mutatione atmosphaerica oriuntur, nempe vi atmosphaerica vel aucta, vel oppressa.

Hanc ob causam interdum in magnis barometri oscillationibus atque regnantibus tempestuosis Aequinoctiis et Solstitiis, subito orto vel frigore vel calore, epidemia quaedam profluviorum in multis hominibus eodem tempore apparet. Ita Reil haematuriam animadvertit, qua et homines integerrimae valetudinis affecti sunt.

Memorandae sunt praeterea haemorrhagiae, quas nominare solemus dyscraticas, quae quidem vel ex venositate aucta, vel ex fibrina deficiente, alimentis pravis aliisque seu epidemicis seu dyschymoticis sanguinis alienationibus originem ducunt.

Exitus.

Tam variis causis atque momentis intermediis non mirum est, et exitus morbi nostri non esse eosdem; finitur enim haemorrhagia aut in sanationem vel perfectam vel imperfectam, aut in alium morbum, aut in mortem.

Sanatio perfecta inducitur iisdem fere signis evanescentibus, quae haemorrhoeae antecesserant; sanguis effluens paullatim subsistit, fluidum modo quasi sanguine tinctum emanat, atque eodem tempore hyperaemia ceu actus criticus finitur. Magni est momenti quoad sanguinis effusi remotionem, utrum in cavum aliquod apertum aut conclusum effluxerit; sanguis organorum parietibus adhaerens atque coagulans amoveatur necesse est, quare in pulmonum profluviis bene est discernendum, num sanguis tussi recens editus, an cum muco jam dudum secretus emanet.

Cavitatibus inclusus sanguis sanationem retardat, quia in hoc casu tantum resorptione, non alio modo removeri potest, quod optime cernere licet in profluviis telae cellulosae, ubi praeterea resorptio semper a peripheria orditur. Nec quidem contingit semper, ut hic processus diuturnus et molestus finiatur; cavitas vel sanguine impleta remanet, vel membrana quadam serosa obtegitur.

Saepius autem, ut Ill. docet Schoenlein, natura ipsa viam ingreditur, aptiorem, breviorem atque

syncopes inducit salutares, quas confundere non oportet cum illis, quae sanguinem jamjam ejectum sequi solent. Ad talis syncopes benignae diagnosin constituendam illustrissimum virum in praelectionibus signa exhibentem audivi, quae, si licet, tradere conabor.

„Syncopes salubres, nisi fallor, dixit, jam ineunte haemorrhagia et quidem subito incipere, sanguinem emanantem esse clarum statimque coagulare, atque omnes plethorae notas exsistere brevi tempore ante syncopen incipientem; tales syncopes salubres non modo pro tempore, sed etiam in futurum haemorrhagiam sistere posse. Syncopes contra ex anaemia ortas profluvia demum post longius tempus, sensu debilitatis antecedente, sequi, sanguinem ipsum esse aquosum, paene serum, pulsum parvum, debilem, extremitates frigidas, oculos fractos; hasce malignas syncopes pro viribus impagnandas esse, quia facile fieri possit, ut mortem inferant."

Praeterea experientia variis modis docuit organa haemorrhagiis subjecta ad recidivas propendere atque profluvia, quae nominare solemus habitualia, oriri, quae quidem et in convalescentiae stadio curam postulant exspectativam.

Exitus in sanationem incompletam.

Videmus saepissime profluvia anaemiam sequi, cujus natura cernitur in permagno corporis pallore et quantitate sanguinis minuta, quod signum tam constans est, ut prope ab omnibus commemoretur

scriptoribus. Hoc cum coloris defectu simul virium prostratio atque debilitas in omnibus totius corporis partibus cum celerrima fatigatione per minimam quamque contentionem sentitur. Pulsus est parvus, lentus, debilis, magna dormiendi cupido, tunicae mucosae quasi maceratae, urina pallida; certe enim sanguis irritamentum est vitale atque cerebrum anaemicum, quod vim amisit, sensuum functiones impotentes reddit. Transire potest hic status in eam paralysin, quam apoplexiam exinanitione vocare solemus atque omnino nervos his residuis sympathice affici, probabile est.

Aliud residuum palpitatio est anomala cordis, magis tamen subjectiva quam objectiva, quae minimis motionibus cordis affectiones provocare atque haud raro ad syncopen evehi potest. Hoc in casu praecipue medicus caveat, ne haec symptomata vel congestioni vel plethorae adscribat, neque palpitationes illas pro morbi cordis organici effectu habeat, nec therapiam adhibeat detractoriam, nam certe sine effectu omnem, qui remansit, sanguinem detrahere poterit. — Ex renum profluviis interdum aegrotis crebra mingendi cupiditas remanet; post ventriculi profluvia aegrotus pronus est ad vomitum, cibis vel paucis assumtis.

Exitus in alium morbum. In morbis consecutivis primum nobis inflammationes occurrunt, quarum conjunctio cum haemorrhagiis facile intelligi potest, cum inflammationi congestionis stadium antecedat.

Phlogosis autem ut evadat, incitamentum parvum sufficit organi morbo nostro affecti atque haud raro accidit, ut in una parte jamjam phlogosis existat, dum in altera haemorrhagia adhuc praevaleat. Inflammatio autem, actio vitalis aucta, modo per tempus aliquod protrahi potest, paullatim ejus vis consumitur atque in statum, ut ita dicam, passivum transire cogitur, quod eo rapidius fit, quo arctior est nexus partis inflammatione affectae cum systemate vasorum.

Sequuntur stadium congestionis stadia hyperaemiae, exsudationis atque suppurationis, quae quidem singula novam postulant medendi rationem. Sed, quod cum natura atque decursu inflammationis stricte cohaeret, functio laesa non solum in parte inflammata nascitur, sed etiam in aliis organis perturbationes incipiunt, quas nominamus symptomaticas, quae quidem interdum tantae sunt intensitatis, ut diagnosin difficiliorem reddant atque efficiant, ut paene propria morbi sedes negligatur. Series omnium horum morborum symptomaticorum tanta est, ut commemorare sufficiat nephritidem calculosam atque oophoritidem, quibus in morbis procul a propria sede dolor ingens sentitur, cujus vim et magnitudinem medicus stupet.

Alius morbus consecutivus est hydrops, quem praecipue in hominibus existere videmus, in quibus jam alienatio sanguinis aderat, uti in chloroticis, scorbuticis, praecipue potatoribus ex abusu spirituo-

sorum, quo in casu nova medendi methodus adhibeatur, necesse est. Curandum enim est, ut debita inter secretionem et resorptionem ratio restituatur atque cavendum, ne novum colligatur fluidum; reactiones spontaneae raro excretionibus alvi, urinae, sudoris adducuntur et ne faustae quidem semper sunt istae crises, sed mors saepe praeter opinionem irrumpit.

Transitus morbi nostri non minus commemoratu dignus est in Lithiasin, ubi sanguinem in organa urinaria effusum quasi locum crystallisationis nominare licet; simili modo in pulmonibus tuberculosin existere videmus, quod quidem in hominibus praeterea sanis non fieri solet. Num sint tubercula tali modo orta a ceteris quoad mixtionem, formam, decursum, prognosin diversa adhuc in suspenso est.

Exitus in mortem. Morbus noster praeter exitus supra commemoratos lethum inferre potest, dum functio organi alicujus ad vivendum necessarii sive laeditur sive deletur, et hoc quidem vel directa via vel per morbos consecutivos. Mortem, si irrumpit ex sanguinis nimia jactura, anaemiae signa antecedere solent. In pneumorrhagiis, ut exemplo utar, aegroti sensum pectus valde prementem percipiunt, qui quovis motu respirationem supprimit atque tussim commovet, vel cum sanguinis ejectione vel vomitu conjunctam, qui status facile cum haematemesi confunditur. Pectoris exploratione respirationem audimus crepitantem, sonitum obtusum;

pulsus est celer, partium supra diaphragma sitarum temperatura exaltata, extremitates frigidae, sitis aucta, alvus obstructa atque mors vel efficitur suffocatione, vel transitu in phthisin aut in oedema pulmonum. — In apoplexia cerebrali primum aegrotus capitis dolorem quendam sentit, sensorium et totum systema nervorum est affectum, somnus inquietus, tum deliria alacria, furibunda oriuntur, vox tremula fit atque mors subito, dum novam congestionem nova haemorrhagia sequitur, irruit.

Sectio.

Sectione post mortem instituta, varia nobis occurrunt signa, tamen in variis profluviis inter se similia atque praecipue in vasorum oppletione congruentia.

Quod attinet ad ruborem atque oppletionem varie modificatam, Ill. Schoenlein docet, ruborem esse laetiorem in organis, in quibus arteriae, saturiorem in quibus venae sint copiosiores, ruborem congestione inductum posse reprimi, inflammatorium contra semper in loco affecto persistere.

Monneret discernit congestionem haemorrhagicam ab inflammatoria quoad variam sanguinis qualitatem, contendens, naturam sanguinis mutati ex congestione haemorrhagica positam esse in auctis corpusculis atque deficiente fibrina, in altera vero mutationem pendere ab aucta fibrina, quae jam exsudationem et

suppurationem praeparaverit. Profluvia e dyscrasiis orta semper cum signis anatomicis morbi primarii conjuncta videmus; sanguinem invenimus in cavitates, parenchyma effusum, saepe coagulatum atque formam substrati organici prae se ferentem, proinde tubulosum in ductus intestinalis haemorrhoicis. Parenchyna varie ruptum, deletum est atque sedes ortae sunt, quas vocamus apoplecticas in cerebro, pulmonibus, hepate. Profluvia si prodierunt e majoribus vasis laesis, praesertim arteriis, quantitas sanguinis editi major esse solet, quam in haemorrhagiis vasorum capillarium, major praeterea si in superficiem ejectus est. Partes propinquae, cum sanguinem imbibant, vel diffuse vel ecchymotice tinctae sunt, partes remotiores sero infiltratae atque sanguis e tela infiltrata guttatim exprimi potest. Partes corporis ceterae non affectae magnam ostendunt anaemiam; in cavitatibus serosis, in pericardio et pleuris saepe serum invenimus, intestina decolorata, ut paucis dicamus, omnia organa excepto cerebro, quod semper et quidem plurimo sanguine est impletum, quia pericranium vasa cerebri ab aëre penetrante tueri videtur. Brevi tempore post extravasationem coagulum sese format subnigrum in cavitatibus clausis, e quibus sanguinis effluxus impeditus erat, atque in parenchymate serum a coagulo separatum infiltrationem efficit oedematosam. Tunc in partibus propinquis hyperaemia atque exsudatio oritur, ita ut superficiei serosae vel forma

tribuatur aspera, villosa, vel strata proferantur pseudomembranosa, quae extravasatum capsulae instar circumdant atque separant a ceteris telis. Extravasatum partim resorbetur, coaguli color laetior, flavus evadit, postremo evanescit, parietes concrescunt atque cicatricem formant.

Prognosis.

Cum haemorrhagia multo modo in alios morbos, e quibus ipsa est orta, salubrem exserat effectum, tum igitur non liceat eam opprimere, magni est momenti haemorrhagiarum divisio in criticas seu salubres atque perniciosas.

Salubres autem evadere possunt sanguine omisso in plethora atque congestione, praecipue apud homines aetate minores atque constitutionis firmae et validae; tum derivatione sanguinis ab organo ad vitam necessario, uti a cerebro, pulmonibus ad rectum, vel uterum, vel nares, auxilium ferendum erit; praeterea potest morbus sanari, si una cum sanguine substantiae excernuntur, quae remanentes corpori fuissent detrimento. Bordeu putabat, jam ex pulsu profluvia critica cognosci posse, cum eodem tempore sit dicrotus, si haemorrhagia oriatur ex partibus superioribus, subintermittens si exsistat e partibus inferioribus.

Perniciosum autem morbus noster exitum inferre potest, si sedem habet in organis nobilioribus, in cerebro, medulla spinali, pulmonibus ventriculo, tum

si eum inflammationes sequuntur, aut sanguinis justo copiosior effluxus. Praeterea alia momenta sunt magni pretii quoad prognosin. Haemorrhagiae enim vasorum externa laesione ortae, quae disperguntur per partes destructas, uti per carcinoma, perniciosiores sunt, quam quae modo mutata secretione efficiuntur; profluvia externa meliorem reddunt prognosin, quam ex internis locis orta, quia ars certe multo facilius vel mechanicis vel stypticis remediis auxilium ferre potest.

Curatio.

Postquam igitur morbi nostri signa, tam physiologica quam anatomica, decursum atque exitum pro viribus describere conati sumus, transeamus necesse est ad exponendam sanandi methodum ejusque indicationes aestimandas.

Indicatio causalis. Cum causas illas tum ab aëre tum a constitutione pendentes facile removere nequeat medicus, haec indicatio nihil aliud fieri jubet, quam curari, ut depellantur aut arceantur momenta intervenientia, quae cura certo tantum posita est in apta prophylaxi. Instituenda erit haec prophylaxis, ut exemplo utar, in illa, quam supra jam memoravimus, haemorrhaphilia atque medicus quam maxime curet necesse erit, ut ad hunc morbum proni tempora, quae maximum iis afferunt periculum, superent, omniaque vitentur, quae causam profluviorum praebere possint. Remedium haemorrha-

philiam sistens praestantissimum habetur, si ferro candenti vas sanguinem fundens tangatur; sanguis enim in densam nec resolvendam amplius massam vertitur, vasorum obturat orificium, simulque vas ipsum valde constringitur. Aliud remedium specificum habetur natrum sulphuricum, quod a peritis medicis ea dosi dari jubetur, qua nonnullae alvi excretiones efficiantur. Sed ne nimis in singulis vagemur, brevi exponere liceat, quomodo omnino prophylaxis sit instituenda.

Primum quidem diaeta ad normam est reducenda, cibi sunt commendandi eupepti, magis vegetabiles, quia homines ad profluvia apti plerumque cibis nimis nutrientibus vesci solent, consumtio sanguinis autem est minuta. Spirituosorum abusus est vitandus, optissima erit aqua fontana, exercitatio tam corporis quam animi augenda, etiamsi eam aegroti propter intentionem omittere, immo timere solent. Non minoris momenti quam diaeta bene constituta est sustentatio secretionum alvi atque renum; curare debet medicus, ut sint copiosae, regulares, quamobrem usus fontium mineralium apto tempore indicatus est. Irritationes, quae maxime ineunte pubertate et menstruatione apud feminas occurrunt, arcendae sunt. In pulmonibus hoc in casu saepe respirationis molestiae oriuntur atque medico cavendum est, ne statim, ut sublevet aegrotum, venaesectionem instituat.

Jam Asclepiades Prusensis (90 a. C.) eam

adhibebat, ubi sanguinis impetum versus pectus imminere putabat atque praecipue in pneumorrhagiis. Facile autem venaesectionibus saepius adhibitis abnormis corporis obesitas provocatur, quae paucis annis elapsis in statum hydropicum transit, quamobrem medici est, ut aegrotum paullatim quidem, sed non subito, ab hac perniciosa consuetudine avertat, aut pro iis locales instituat depletiones.

Indicatio morbi. Quod attinet ad hanc indicationem, respiciendum est ad organi affecti proprietatem atque morbi ipsius stadia, quam ob causam partem generalem et specialem morbi discernere licet. In stadio hyperaemiae oppletio est depellenda derivatione vel directa vel indirecta. Morbus si a reactione orditur, venaesectiones sunt adhibendae, minore vasorum orgasmo salia media antiphlogistica, quae alvi excretiones excitant, sufficiunt. Praeterea Narcotica et quidem acidum hydrocyanicum, Digitalis, si haemorrhoea simul cum cordis irritatione cohaeret, ad secernendam urinam. Consentaneum est, functionem quoque organi affecti respici, quamobrem secundum organi nobilitatem, hyperaemiae intensitatem atque periculum imminens medicamenta eligantur apta necesse est. Ill. Schoenlein suadet ipsam incisionem venae jugularis in cerebri hyperaemia atque cum illa conjunctis perturbationibus, neque censet periculum ex hacce operatione esse tantum, quantum a multis medicis habeatur. Ubi autem venaesectiones propter situm vel constru-

ctionem organi non possunt institui, nos confugere oportet ad detractiones locales, praecipue ad cucurbitulas cruentas, hirudines. Hac cum sanandi methodo conjungenda est derivatio indirecta, quae quidem posita est vel in signis sanguinis minuti in aliis partibus, vel in signis physiologicis, ita ut exempli causa in pneumorrhagiis derivatio ad alvum locum teneat. Morbo autem plane exculto, ut sanguis primum effusus removeatur, fluens sistatur, opus est. Attamen fieri potest, ut natura ipsa profluvia sisti cupiamus, praecipue narium et aliarum partium externarum; nam haud raro tales haemorrhagiae cerebri affectiones antecedentes sublevant. Hae si opprimerentur in hominibus aetate provectis facile apoplexia, in juvenibus arachnoitis exsudativa exsistere posset. — Medicamentis autem stypticis primum adnumeranda sunt *mechanica* et quidem compressio arteriarum et venarum, quae optima, naturalis est methodus, quamque omnes homines sponte adhibent, dum sanguinem e vulnere aliquo erumpere cernunt. Haec methodus in periculosissimis haemorrhagiis saepe sufficit, in quibus alia remedia frustra erant tentata. Similis momenti, quamvis aliquanto minoris, sunt Caustica, quae tantum externis partibus bonum praestant effectum. Praeter dolorem ingentem et inflammationem validam, ex eorum usu periculum imminet, ne eschara delapsa revertat post paucos dies haemorrhagia, quae tunc multo difficilius sistitur, quam initio morbi.

Hoc esse verum, jam Galenus cognoverat eamque ob causam Escharaticorum usum damnaverat. Aliud remedium est frigus, quod vasa capillaria valde contrahit atque sanguinem effluentem ad coagulationem adigit. Quamquam in frigore adhibendo multi medici haesitarunt, praecipue in pneumorrhagiis, tamen eventus ostendit, hunc timorem fuisse vanum, imo vero ejus usum necessarium scimus in pneumorrhagiis eorum, qui scorbuto laborant, vel quorum sanguis narcoticorum abusu depravatus est. His medicaminibus praecipuis alia adnumeranda sunt, quasi adjuvantia, et quidem alumen, acida mineralia et vegetabilia. Quod vero ad reactionem in sanguinem effusum attinet, saepe justo vehementior est atque nova procreat profluvia.

In haematemesi, ut exemplo utar, intentione facile revocatur haemorrhoea, quo in casu Narcotica sedandi causa postulantur. Alias reactio est augenda, vomitus adeo proferendus, uti in Apoplexia pulmonali, ubi bronchia tanta sanguinis copia obruuntur, ut aëris additus impediatur.

Ad sanguinem ipsum removendum, viae minime periculosae eligendae erunt, tussis in pneumorrhagiis non erit supprimenda, sed modo temperanda, in profluviis intestinorum clysmata sunt indicata. Sanguis autem in cavitatibus clausis collectus tantum via artificiosa, vel resorptione, auferendus erit. Sunt medicamenta, quae secretione aucta hunc processum incitant: Flores Arnicae forma fomentorum,

Jodum ejusque praeparata, Diuretica antiphlogistica, uti Kali et Natron nitricum, Juniperina, alia.

Indicatio exitus. Tertiam postremo indicationem haemorrhoeae offerunt.

Profluvia enim, etiamsi transeunt in sanitatem, tamen in organo affecto dispositionem quandam ad morbum recidivum relinquunt, quae curam per longum tempus diaeteticam atque, ut omnia incitamenta vitentur, poscit. Munus certe, haud facile peractu; nam sanguinis jactura saepe diaetam requirit nutrientem, roborantem; alimenta sint quidem nutrientia, sed liquida, sine aromate.

Profluvia in cavitatibus tunicis mucosis indutis blennorrhoeas interdum procreant, ita ut nimium muci secernatur; hoc in casu adstringentia locum habent, uti Lichen Islandicus, radix Columbo, salia metallica.

Omnia praeterea residua, ceterique ex haemorrhagiis morbi exorti novam semper curandi methodum postulant, quae tamen morbum primarium cum grano salis respiciat necesse est.

VITA.

Davides Sabersky natus sum a. MDCCCXXII die XXI mens. Novembr. Hoyerswerdae, oppido Lusatiae superioris, patre Abraamo, mercatore, matre Sara e gente Sohrmann, quos Deus optimus maximus vivos mihi ac salvos hucusque servavit. Fidei veteri addictus sum. Primis litterarum elementis in schola urbis patriae imbutus gymnasium adii Dresdense ad sedem sanctae crucis et a rectore Groebel ejusdem civibus adscriptus sum. Biennio elapso per sex annos gymnasium frequentavi Gubenense, quod tunc sub directoris Ill. Reimnitz auspiciis florebat. Maturitatis testimonio instructus Berolinum me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. de Raumer inter cives almae matris receptus sum. Ibidem per quadriennium disserentes audivi:

Cel. Werder de logice et psychologia;
Ill. Dove de physice;
Ill. Mitscherlich de chemia;
Ill. Lichtenstein de zoologia;
Ill. Weifs de mineralogia;
Ill. Kunth de botanice;
Ill. Hecker de encyclopaedia et de medicinae historia;
Ill. Schlemm de osteologia;
Ill. Mueller de anatomia universa, comparata, de physiologia;
Ill. Mitscherlich de materia medica;

Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali;
Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis;
Exper. Dr. Schoeller de arte obstetricia;
Exper. Dr. Dann de pathologia et therapia generali;
Exper. Dr. Ascherson de chirurgia speciali;
Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi.

In arte cadavera rite secandi duces mihi fuere Ill. Mueller et Schlemm.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Ill. Truestedt, Romberg, Wolff, Juengken, Dieffenbach, Schmidt.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis ago semperque habebo summas gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tabes dorsualis est morbus insanabilis.
2. Haemorrhagia non est morbus per se, sed morbi symptoma.
3. Haemorrhoides et arthritis ex uno fonte oriuntur.
4. Typhus est morbus sanguinis.